Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

prudentes · castas domi curam habentes · benignas · subditas
uiris suis · ut non blasphemet uerbum dei · Juuenes similiter
exhortare ut sobrii sint · In omnibus te ipsum prebe exemplum bonorum
operum · in doctrina · in integritate · in grauitate · sanum uerbum irreprehen
sibile · ut his qui ex aduerso est uereatur · nihil habens malum dicere
de uobis · Seruos domino suis subditos esse · in omnibus placentes
non contradicentes · non fraudantes · sed in omnibus fidem bonam
ostendentes ut doctrinam saluatoris nostri dei ornent in omnibus ·

In illo tempore · Venit iohes baptista predicans · S. marcum ·
in deserto iudee dicens · Penitentiam agite · appropinquabit
enim regnum celorum · Hic est enim qui dictus est per ysaiam prophetam
dicentis · Vox clamantis in deserto · parate uiam domini · rectas fa
cite semitas eius · Ipse iohes autem habebat uestimenta de pilis
camelorum · et zonam pelliceam circa lumbos eius · esca autem eius
erant locuste et mel siluestre · Tunc exiebat ad eum ierosolima
et omnis iudea et omnis regio circa iordanem · et baptizabantur
ab eo confitentes peccata sua · Dom. ij. ad Romanos ·

Fratres · Quecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt ·
ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus ·
Deus autem patientiae et solatii det uobis id ipsum sapere in alterutrum
secundum iesum xpm · ut unanimes uno ore honorificetis deum
et patrem domini nostri iesu xpi · Propter quod suscipite inuicem · sicut et
xpc suscepit nos in honorem dei · Dico enim xpm iesum ministrum
fuisse circumcisionis propter ueritatem dei · ad confirmandas promissio
nes patrum · Gentes autem super misericordia honorare deum
sicut scriptum est · Propterea confitebor tibi in gentibus domine · et nomini
tuo cantabo · et iterum dicit · Letamini gentes cum plebe eius · et iterum ·
Laudate omnes gentes dominum · et magnificate eum omnes
populi · et rursum ysaias ait · Erit radix yesse · et qui exsurget
regere gentes · in eum sperabunt · Deus autem spei repleat uos omni
gaudio et pace in credendo · ut habundetis in spe · et in uirtute
spc sc̃a ·